



Clerus Sæcularis Et Regularis

Seu Decretalium Gregorij IX. Pont. Max. Liber III ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem expositus, In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & hororum solutionibus

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

VD18 13510800-001

Titulus. VIII. De Concessione Præbendæ non vacantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75021)

nem missus est. Ad 2. possessio illa, & administratio, quæ per *c. nihil cit.* conceditur electis in concordia, & necdum confirmatis extra Italiam non est stabilis, sed provisionalis tantum, quæ duret usque dum Electio auctoritate Apostolica confirmetur, confirmatio autem secuta, per Investituram corroboretur; & stabilietur. Ad 3. ad rei, vel juris possessionem capiendam non sufficit ejus dominium, vel quasi, cum Jure notum sit; quod possit aliquis committere spoliū rei suæ.

Quæritur 9. quæ sit poenâ afficiendus ille, qui possessionem Beneficij, cujus titulum habet, propria auctoritate adijt? R. distinguendo, an eam adierit, interveniente violentiâ, annullâ interveniente violentiâ.

Si primum, quia nim. priorem Beneficiarium, quod adhuc possessionem Bene-

ficij à se amissi continuaret, vi illata ex illa depulit, in poenam temeritatis ipso Jure, & facto amittit titulum Beneficij, & omne jus, quod antè ipsi in eo competeat *c. eum qui 18. de Præb. in 6. & ibi Barb. n. 3. Passerin. n. 16. & seqq. Honor. hic n. 17. Engln. 4. Wiest. n. 42.* Ratio hanc poenam statuendi fuit; quia talis assumere videtur partes Judicis, & spoliatoris Beneficij, licet mala fide possessi, ut adeo locus sit *arg. l. siquis in tantam 7. C. unde vi.*

Si secundum, poenâ arbitrariâ à Judice est puniendus, ipsum tamen Beneficium non amittit; quia ad amissionem illius ipso Jure utrumque requiritur, videlicet neglectus auctoritatis, seu officij Judicis, & violentia possessori resistenti illata. Covar. l. 3. var. c. 16. n. 7. §. quodsi Lotter. l. 3. de Benef. q. 22. n. 29. Passerin. l. cit. n. 17. & alij supra.

TITULUS VIII.

De Concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

SUMMARIUM.

1. Beneficium aliquando vacat defacto tantum.
2. Aliquando de Jure tantum; aliquando de Jure, & facto simul.
3. Ut per mortem naturalem vacet, requiritur, ut situm sit in Ecclesia numerata.
4. Ut non sit suppressum, vel accessoriè unitum.
5. Ut Beneficiatus habuerit jus in Beneficio.
6. 7. 8. Casus, quibus Beneficium vacat ex dispositione Juris.
9. 10. 11. Discrimen inter privationem inductam ipso Jure, & decretam sententiâ Judicis.
12. 13. 14. Quomodo vacare debeat Beneficium, ut alteri conferri possit?
15. 16. 17. 18. An semper necessariam sit, ut illud vacet?
19. 20. 21. 22. An non saltem promitti possit in casum, quo vacaverit?
23. An promissio hujusmodi convalescat accedente consensu Beneficiarij?
24. Vel Scripturâ?
25. An Collator potestatem conferendi delegare alteri possit?
26. Quid circa Beneficium nondum vacans possit Patronus?
27. 28. 29. An valeat promissio in casum, cum occasio se obtulerit?
30. 31. 32. An non saltem valeat Juramentum promissioni Beneficij nondum vacantis adjectum?
33. 34. 35. An, & quatenus per Trid. sublata sint Gratia Expectativa?
36. 37. 38. Intra quod tempus conferri debeant Beneficia vacantia?
39. 40. Quando semestre ad conferendum Beneficium à Jure præfixum incipiat currere?
41. 42. An tempus istud sit utile, vel continuum?
43. Poena non conferentium legitimo tempore est devolutio ad Superiorem.
44. Quæ sit gradatim.
45. 46. Requisita, ut Jure devoluto Beneficium vacans conferri possit?

UT Ecclesiarum, Dignitatum, & Beneficiorum Collatio, & in ea Institutio valeant, necesse est, ut expectetur eorundem Vacatio. Hinc merito Titulis præc. in quibus de Beneficijs, eorumque Collatione, & Institutione actum est, subjungitur præsens Titulus de concessione Præbendæ, vel Ecclesiæ non vacantis.

Quæritur I. quando dicatur vacare Beneficium? R. vacare tunc dicitur Beneficium, quando proprietario, vel possessore caret *arg. l. qui actu. 5. §. fin.*

ff. ad Leg. Jul. de vi public. & l. Divus 22. §. licet 1. ff. de us. & habit. quorum textuum priore mulier marito carens, posteriore domus à nemine habitata pro vacantibus habentur. Potest autem hæc Beneficiorum, & Ecclesiarum vacatio tribus modis contingere, videlicet vel defacto tantum, vel de Jure tantum, vel defacto, & de Jure simul.

Defacto tantum vacat Beneficium, quando sola ejus possessione amissa, titulus, & jus seu proprietas retinetur, ut cum Benefi-

Beneficiarius diu absens ab eo est, & ignoratur, ubi sit: Item quando collatum id alicui est quoad titulum, nondum tamen possessio ejusdem tradita: Aut quando Beneficiarius ista per vim exutus, & Beneficio depulsus est, nec alius occupavit possessionem illius.

² De Jure tantum vacat Beneficium tunc, quando Beneficiarius quidem amisit jus, & titulum Beneficij, possessionem tamen retinet: & hæc vacatio dupliciter induci potest, vel per sententiam Judicis, quâ Clericus in poenam criminis à se commissi privatur jure, & Titulo Beneficij; vel ex dispositione ipsius Juris decernentis Beneficium ipso facto vacare.

De Jure, & facto simul denique vacat Beneficium, quando nec Titulus, nec possessio ejusdem apud aliquem est: quo modo vacat, quando Beneficiarius est mortuus, vel Beneficium resignavit, aut illo actualiter privatus est, antequam id alteri conferatur.

³ Dub. 1. quando Beneficia vacant per mortem naturalem Beneficiati? R. ad hoc plura requiruntur.

1. Ut Beneficium illud situm sit in Ecclesia numerata; nam in Ecclesijs non numeratis, ubi plures, vel pauciores institui Canonici possunt pro arbitrio Episcopi, vel Capituli, mortuo Canonico, non vacat illius Canonicatus, sed cum defuncto extinguitur; & si novus instituitur, novum jus creatur, ipsique confertur c. dilecto 25. §. præterea de Præbend. c. ex parte 10. §. tandem h. tit. Vivian. ibid. in ration. Barbof. n. 1. Wagn. V. Statutum not. 1. Leur. p. 2. for. Benef. q. 556. n. 8. Clericat. de Benef. discord. 25. n. 11. Pirh. hic n. 41. Schamb. n. 13. Idem dicendum est, quando in Ecclesia numerata Canonicus instituitur supra numerum; quia talis supernumerarij Canonici Beneficium non est stabile, ac perpetuum, sed ad tempus vite ejus concessum ex gratia speciali, & dispensativè. Pirh. l. cit.

⁴ 2. Ut Beneficium tale non sit suppressum ab habente potestatem, vel unitum accessoriè alteri Beneficio. Garc. p. 11. de Benef. c. 2. n. 2. & p. 12. c. 2. n. 12. Clericat. discord. 48. n. 52. Pirh. n. 24. hic. Ratio est quia per suppressionem omnino extinguitur, & per unionem censetur ut prædium ejus, cui unitur. Idem dicendum, quando Beneficium pertinet ad mensam Prælati, vel Capituli; nam etsi moriatur Clericus, qui eidem deservijt, per mortem tamen illius non vacat hujusmodi Beneficium. Garc. p. 11. cit. c. 2. n. 3. Clericat. disc. 48. cit. n. 54. Pirh. n. 24. cit. quia talis Clericus non est propriè Rector illius Beneficij, seu Beneficiarius, cum non proprio, sed alieno, videlicet Prælati, vel Capituli nomine ei deserviat.

³ Ut Beneficiarius habuerit jus in re, seu quasi dominium in Beneficio; alioquin per mortem ipsius non censetur Beneficium de novo vacare: ut si provifus ante mortem non sit confirmatus in Beneficio electivo, vel nondum acceptavit Beneficium collativum. Covar. l. 3. var. c. 16. n. 3. Laym. l. 4. tit. 2. c. 17. n. 1. Pirh. n. 23. hic.

His autem concurrentibus, Beneficium per Beneficiarij mortem ita vacat, ut etiam si ille à morte miraculosè resurgeret, nullum tamen amplius habiturus esset jus ad illud recuperandum; quia mors omnia solvit, ut dicitur Novell. 22. c. 20. princ. & ad Beneficium amissum sine nova collatione rediri non potest.

Dub. 2. quibus casibus Beneficium vacet ex dispositione Juris? R. plures hujusmodi assignari casus.

1. si Beneficiarius contraxit Matrimonium validè c. si qui 1. & c. quod à te 3. de Cleric. conjug. 2. si Religionem ab Ecclesia approbatam professus est c. Beneficium 4. de Regular. in 6. 3. si secutus est militiam sæcularem c. fin. de Cleric. non resid. & ibi Gloss. V. redierint. 4. si affectus est Beneficium incompatible c. cum in cunctis 7. §. cum verò de elect. c. de multa 28. de Præbend. Extrav. Execrabilis 4. §. qui verò int. comm. eod. 5. si Beneficij tibi collati possessionem vi occupavit c. eum qui 18. de Præbend. in 6.

6. Si obtinens Parochialem Ecclesiam non suscepit Sacerdotium intra annum à diè adeptæ possessionis, vel quo stetit per ipsum, quo minus adipisceretur c. licet 14. de Elect. in 6. 7. si litigans de Beneficio sequestrationem decretam impedit, aut fructus sequestratos quo quo modo occupare præsumit, Clem. un. de sequestr. possess. 8. si commisit crimen, cui privatio Beneficij ipso jure annexa est, qualia sunt Hæresis, Sodomia sæpius exercita, Assassinium, falsificatio Litterarum Apostolicarum &c. de quibus Jura passim, atque DD.

9. Si Prælata bona, seu res Ecclesiæ fixæ immobiles, aut mobiles pretiosas, non servatis solennitatibus Juris, vel Summo Pontifice inconsulto, alienavit. Extrav. un. int. comm. de reb. Eccl. non alien. 10. si Episcopus electus, justo impedimento cessante, intra tres menses post consensum electioni præstitum non petijt Confirmationem c. quàm sit 6. de Elect. in 6. 11. si ante confirmationem, vel institutionem se ingessit administrationi c. qualiter 17. de Elect. 12. si electus ad Episcopatum, & hujus pacificam possessionem assecutus, consecrationem ultra tempus Jure definitum distulit c. cum in cunctis 7. §. cum verò eod.

Dub. 3. quod sit discrimen inter privationem Beneficij ipso Jure decretam, & inter eam, quæ per Judicis sententiam inferenda est? R. multiplex discrimen esse; nam

1. Qui

1. Qui per sententiam solum privandus est Beneficio, fructus ante illam perceptos suos facit, non restituere eos tenetur post sententiam; quos tamen restituere tenetur, qui ob crimen ipso Jure Beneficio privatus est: quod verum est etiam de perceptis ante sententiam declaratoriam criminis; quia hæc retrotrahitur ad tempus commissi criminis. Covar. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 8. n. 8. Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 2. v. secundus effectus, Molin. tom. 2. de Just. D. 96. n. 7. Sanch. l. 2. mor. c. 26. n. 10. Laym. l. 4. tr. 2. c. 17. n. 2. Pirh. hic n. 27. Schamb. n. 10.

10 2. Is, qui privandus est Beneficio per sententiam ferendam à Judice, permutare, & resignare Beneficium illud potest, & si ante sententiam istud fecerit, permutatio, & resignatio hujusmodi rescindi non potest. At si quis ipso Jure privatus est Beneficio, inter est, anteneatur ante sententiam illud dimittere, vel non; nam si primum, nec permutare, nec resignare illud in favorem tertij potest: si verò secundum permutare quidem, & resignare illud secundum aliquos etiam in favorem tertij potest, sed permutatio, & resignatio sic facta rescinditur: de quo vide Libr. 1. tit. 9. n. 9.

3. Beneficium, quod ipso Jure amissum est, impetrari, & conferri alteri potest, criminoso non vocato; non ita auferri, aliique conferri potest Beneficium, quo criminofus per sententiam Judicis privandus est. Flamin. de resign. l. 3. q. 1. n. 33. Azor. p. 1. l. 5. c. 8. q. 3. Sanch. l. 2. mor. c. 26. n. 12. Laym. n. 2. cit. Schamb. n. 10.

11 4. Beneficium, quo quis ob crimen ipso Jure privatus est, non vacat morte Beneficiarii sic privati, utpote quod jam prius vacavit; at Beneficium, quo quis privandus est primum per sententiam, si Beneficiarius ante hanc moriatur, non ex causa delicti, sed mortis vacat. Azor, Pirhing, Schambogen l. cit.

5. Ut privetur quis Beneficio per sententiam Judicis, non requiruntur crimina adeo gravia. In Jure poena privationis ferenda à Judice decreta est ob Homicidium simplex commissum à Clerico, ob perjurium, Sacrilegium, Sodomiam non frequentatam; adulterium, aut concubinatum publicum &c.

12 Quaritur 2. an, & quomodo vacare debeat Beneficium, ut alteri conferri possit? Certum est 1. non sufficere, si Beneficium vacet de facto tantum; quia revera vacans non est, cum de Jure pertineat ad alium, licet iste hic & nunc in possessione non sit. Zœf. hic n. 2. Engl n. 2. ibid. König n. 13.

Certum est 2. posse conferri Beneficium, quod de Jure, & facto simul est vacans, ut aperte colligitur ex c. nulla 2. h. tit. à contrario sensu; nam hoc ipso,

quòd ibi dicatur, Ecclesiastica Beneficia non posse conferri, nec promitti, antequam vacent, sequitur, quòd postquam vacant, conferri possint, si aliud nihil obstat. Abb. in c. 6. h. tit. n. 18. Zœf. hic n. 2. Pirh. n. 18. Schamb. n. 8. Engl n. 3. Wiest. n. 6. & alij communiter.

Quando vacat de Jure tantum, non 12 autem defacto, eò quòd alius sit in possessione, si collorata hæc sit, ut Beneficium ita vacans impetrari, conferri possit, duo requiruntur. Primum est, ut in Rescripto impetrationis, & Provisionis mentio fiat possessionis colorata; alioquin impetratio, & collatio subreptitia erit, & nulla, prout sumitur ex c. cum nostris 6. h. tit. & ratio est, quia si Pontifex scivisset, quòd alius in possessione colorata Beneficij esset, non tam facile, nec absolute Beneficium contulisset, sed potius ne videretur conferre Beneficium viventis, de possessoris Jure inquiri mandasset. Abb. in c. cum nostris cit. n. 7. §. 17. Vivian. ibid. princ. Barhof. n. 1. §. 2. Wagnereck. not. 1. Zœf. hic n. 2. Engl. n. 3. Pirh. n. 19. Scamb. n. 8. Wiest. n. 7. Alterum est, ut antequam conferatur Beneficium tale, prius citetur ejus possessor, & præcedente summaria cognitione causa, cassetur possessionis color, sive ejus injustitia ostendatur, prout sumitur ex c. cum nostris cit. & notat Abb. ibid. n. 19. Engl. hic n. 3. Pirh. n. 20. not. 3. König n. 13.

Dixi, si possessio colorata sit; nam 14 si possessor aliquis Beneficij sit, sed sine titulo colorato, eò quòd laboret defectu manifesto, quo irrita reddatur collatio, neutrum ex prædictis requiritur. Non primum; quia Pontifex, etiam si expressa fuisset hujusmodi injusta possessio, adhuc tamen contulisset Beneficium, imò facilius contulisset. Non secundum; quia in notorijs ordo Juris observandus non est. Procedit autem hoc de collatione tantum, non verò demissione in possessionem; nam in hanc novus Beneficiarius mitti, eaque exui præcedens possessor nequit, nisi vocetur, ne si fortè habet aliquam causam retinendi illam, suo jure inauditus privetur. Vivian. in c. 6. h. tit. Wagn. ibid. not. 3. Pirh. n. 20. not. 3. Schamb. n. 8. König n. 13.

Porro in possessione colorata Clericus tunc esse dicitur, quando Beneficium accepit à legitimo collatore, & institutio, seu collatio notoriè non est irrita, licet jus, & titulus ejus non subsistat propter defectum occultum, Pirhing. n. 20. cit.

Dub. 1. an semper necessarium sit 15 vacans esse Beneficium, ut conferr illud alteri possit? R. affirmative; nemini enim conferri Beneficium potest, antequam vacet: estque collatio Beneficij non vacantis ipso Jure irrita can. non furem 10. & can. cum qui 40. caus. 7. q. 1. c. nulla 2. hic c. consultatio-nibus 4. de donation. Ratio est, quia si Be-

beneficium nondum vacans conferri posset, conferretur, vel ut simul retineretur ab utroque, vel ut spoliaretur illo Beneficiarius prior. Prius fieri non potest; quia Beneficium conferri, & retineri simul à Clericis duobus non potest. Posterius; quia nemini jus suum sine sua culpa, vel causa publica auferri debet.

16 *Proceditque hoc 1. de quocunque Collatore, qui Papâ inferior est; nam Summus Pontifex ex plenitudine potestatis istud potest. Procedit 2. etiam de Executore à Papâ dato; quia conferre Beneficium, seu Præbendam vacaturam pertinet ad plenitudinem potestatis Papalis, non ordinariam, sed absolutam, secundum quam in dubio Papa, vel alius Princeps non censetur agere, quippe cum sit contra Jus, & odiosa. Gaill. l. 1. obs. 14. n. 6. & 7. Procedit 3. etsi Beneficium vacet defacto; nam nisi de Jure vacet, collatio ejus manet irrita. Abb. in c. 6. b. tit. n. 18. Zœf. hic n. 2. Pirh. n. 18. Wiest. n. 8. & ratio est, quia hoc ipso, quod ejus titulus, seu proprietas penes alium sit, non censetur verè vacare.*

17 *Pœna in eum, qui in Beneficio non vacante, aut solum vacante defacto, & non de jure scienter se institui passus est, à Jure statuta est duplex. Primò enim, præterquam quod à Beneficio sic obtento repellendus sit, etiam à communione Fidelium removendum statuerunt Gregorius, & Gelasius Summi Pont. can. eum qui cit. & c. qui in vivorum 1. b. tit. Secundo, si Beneficium illud postea vacet, obtinere id non amplius sine Apostolica dispensatione potest c. post electionem 7. b. tit. ad eum ferè modum, quo vir, qui cum alterius viventis uxore, interveniente adulterino commercio, matrimonium defacto contraxit, hanc, ejus viro postea mortuo, ducere sine ejusmodi dispensatione nequit c. fin. de eo, qui duxit &c.*

18 *Dixi autem 1. qui scienter; nam si Beneficium nondum vacans collatum sit ignaro, minimè collatio talis eum facit obnoxium istius pœnæ, cum extra culpam illum ignorantia ponat, & c. qui in vivorum cit. loquatur de sciente. An verò hujusmodi collatio ignorantia facta deim convalescat per subsequenter vacationem, dubitari posset, ex ratione, quia hoc casu cessat periculum viti mortis alienæ, quod SS. Canones averfantur. Sed dicendum non convalescere; quia ab initio nulla est, ut adeo tractu temporis convalescere nequeat. Zœf. n. 6. hic. Dixi 2. institui se passus est; nam si solum acceptet promissionem Beneficij non vacantis, quamvis jus nullum ex ea promissione acquirat, à pœnis tamen prædictis liber est. Idem dicendum de eo, qui supplicavit pro Beneficio viventis. Zœf. hic n. 4. Ratio utriusque est, quia pœnæ non solent induci, nisi post actum consummatum; antè enim est tantum conatus, qui non solet pu-*

niri l. hoc Edictum 1. & hæc autem verba ff. quod quisq. Jur. nisi in gravioribus. Alciat. ad l. sepe 53. n. 37. ff. de V. S. Dixi 3. tale Beneficium ab eo, cui sic collatum est, etiam cum deim vacaverit, impetrari absque Apostolica dispensatione non posse. Ex quo sequitur, ut impetrari ab eo possit, necessarium esse, ut in Litteris Apostolicis mentio fiat præcedentis intrusionis: aliàs Provisio Apostolica, nisi motu proprio facta sit, tanquam subreptitia carebit viribus, & erit omnino nulla; quia Papa, si id scivisset, ipsi non contulisset, vel saltem non ita facile arg. c. super litteris 20. & c. postulâsj 27. de rescript.

Dub. 2. an promitti saltem Beneficium non vacans possit in casum, quo illud per obitum, renuntiationem &c. vacaverit? Ratio dubitandi est 1. quia Beneficium viventis ab Episcopo uniri Monasterio, Hospitali, Collegio, &c. potest, & hac unione facta Beneficium casu, quo vacet, eidem debetur. Igitur etiam promitti Beneficium non vacans potest, ut casu, quo vacaverit, promissio fortiaur effectum. 2. Beneficium nondum vacans potest promitti tacite, & promittitur, quando aliquis recipitur in Canonicum cum expectatione Præbendæ, ergo potest etiam promitti expressè. 3. Legatus à Latere potest reservare Beneficium proximè vacaturum etiam in favorem certæ personæ, atqui reservatio in favorem certæ personæ viam promissionis obtinet, ergo etiam fieri potest promissio Beneficij non vacantis.

Sed dicendum, Beneficium non vacans etiam promitti in tempus vacationis non posse. Ita Flamin. l. 6. de resign. q. 4. n. 104. Reginald. prax. for. pœnit. l. 30. n. 3. n. 247. Vivian. in c. ex tenore 13. b. tit. princ. Fagn. in c. nulla 2. eod. n. 2. Gonzal. ibid. n. 10. & seqq. Barbol. l. 3. Jur. Eccl. c. 13. n. 122. Leuren. p. 2. q. 787. n. 1. & constat 1. ex c. nulla 2. princ. c. relatum 3. c. ex tenore 13. b. tit. quibus Juribus promissioni hujusmodi Beneficiorum non vacantium vis omnis adimitur. 2. ex Trid. quod sess. 24. c. 19. de reform. abrogatas voluit quascunque gratias ad Beneficia vacatura. 3. ex Regul. Cancell. 21. de non impetrando Beneficium per obitum viventis, & 31. de verisimili notitia: quarum priori statuitur, si quis impetret Rescriptum, ut sibi provideatur de Beneficio tanquam vacante per obitum alicujus adhuc viventis, ejus provisionem virtute talis Rescripti factam, nullius momenti esse, etsi postea per obitum Beneficium illud vacet. Posteriori autem decernitur, Provisionem Apostolicam Beneficij per obitum vacantis irritam esse, nisi inter obitum, & provisionem tantum temporis intercesserit, ut obitus ad notitiam Papæ verisimiliter pervenisse potuerit.

21 Ratio sic statuendi triplex fuit, eaque
 iustissima, quam etiam insinuat textus *c.*
nulla cit. 1. ut ab Ecclesijs, & Personis
 Ecclesiasticis, quam procul possent, remo-
 verentur impia desideria, & consilia, alie-
 nam mortem spectantia, cuius voto, & ma-
 chinationibus huiusmodi intempestivæ pro-
 missiones facillè occasionem præbent. 2.
 ut occurreretur incommodis, & gravami-
 nibus, quæ Ecclesijs, earumque Prælati in-
 ferebantur; nam sæpe contingebat, ut ab
 his per nimiam importunitatem extorque-
 rentur promissiones huiusmodi pro perso-
 nis minus idoneis, sicque excluderentur
 digniores, qui vacatione eveniente se offe-
 rebant, cum non modico Ecclesiarum dam-
 no, & periculo animarum non minore. 3.
 quia etiam Jure Civili Pactum de futura suc-
 cessione, vivente eo, cui succedendum est,
 damnatur, tanquam contra bonos mores
 initum, ut habetur *l. donari 29. §. fin. ff. de*
donat. & l. fin. c. de pact. ubi dicitur, quod
 huiusmodi pactioes odiose esse videntur, &
 plene tristissimi. Et periculosi eventus; & decer-
 nitur talia pacta, tanquam quæ contra bonos
 mores inita sunt, repell. Et nihil ex his pactio-
 nibus observari debere.

22 Neque urgent Argumenta opposita.
 Ad 1. imprimis Canones antiqui, & De-
 cretum Trid. loquuntur solum de collatione
 Beneficij vacaturi quoad Titulum, non au-
 tem de concessione ejus in proprietatem,
 quod per unionem contingit. Deinde hu-
 jusmodi unio Monasterio, Collegio, vel
 alteri Communitati facta alienæ mortis cap-
 tandæ multo minorem occasionem præbet,
 imò nullam, cum quod Collegio, vel Com-
 munitati datur, nemini datum videatur *arg.*
can. Episcopus 58. §. qui manumittitur. caus.
12. q. 2. & naturali quodam vito communiter
negligatur, quod communiter possidetur; nihil-
que se habere arbitretur, qui totum non habet,
ut dicitur l. meminimus 2. princ. §. naturale
C. quand. §. quib. quart. Denique etsi per
 huiusmodi unionem factam de Beneficio vi-
 ventis qualis occasio captandæ mortis
 alienæ daretur, tamen propter majus bon-
 num, quod ex tali unione provenit, con-
 temnenda esset. Ad 2. Nego paritatem;
 quia recepto in Canonicum debetur Præ-
 benda proximè vacatura ex promissione
 facta à Lege; prohibitio autem præsentis
 loci locum duntaxat habet, quando promif-
 sio Beneficij fit ab homine. Ad 3. *Transf.*
Major; complures enim cum Passerin. *in c.*
9. h. tit. in. 6. n. 2. negant reservationi huic
 locum nunc esse post Trid. *Neg. Min.* nam
 per promissionem, & collationem Beneficij
 vacaturi, si valeret, acquireretur jus pro-
 viso, & hinc timeri posset occasio optandæ,
 vel captandæ mortis alienæ, at in reserva-
 tione, quia legatus mutare voluntatem suam
 potest, nullum acquiritur jus ei, in cuius
 favorem reservatio facta est, & hinc etiam

periculum mortem alterius captandi, op-
 tandique cessat.

Dub. 3. an huiusmodi promissio con-
 23 valeat, quando accedit consensus ejus, qui
 Beneficium obtinet, de quo ad casum vi-
 caturæ contingentis fit promissio? Vide-
 tur convalescere argumento sumpto à pari-
 tate cum pacto de futura successione, quod
 saltem per modum donationis mortis causâ
 factæ valet, si is, de cuius hereditate pa-
 ctum est, consenserit, & in eadem volun-
 tate usque ad mortem perseveraverit *l. fin.*
C. de pact.

Sed hoc non obstante dicendum,
 ejusmodi promissionem de Præbenda, seu
 Beneficio viventis non tenere, etiam si facta
 sit cum consensu ejus, qui illud obtinet. Su-
 mitur *ex c. nulla 2. c. ex tenore 13. h. tit. &*
notat Gloss. in c. nulla cit. V. condemnare,
Fagnan. ibid. n. 4. Vivian. in c. 13. eod. princ.
Barbof. l. 3. Jur. Eccl. c. 13. n. 125. Pirh. hic
n. 5. Ratio est, quia Jura *citt.* promissio-
 nem de Beneficio viventis absolute irritant,
 pactum autem de hereditate viventis solum
 irritat cum clausula, nisi consentiat ille,
 de cuius hereditate agitur.

Extenditur autem Responsio ista 1. 24
 etiam si per Scripturam firmata sit talis pro-
 missio; quia actus nullus regulariter per
 Scripturam non validatur. Abb. *in c. ex*
tenore cit. num. 2. Pirh. *hic n. 6.* Unde quo-
 modocunque Beneficium viventis promissum
 alteri fuerit, illud, si postea vacaverit, à
 Collatore ordinario liberrimè conferri alteri
 personæ potest. Neque auditur, si is,
 cui promissio huiusmodi facta est, appella-
 re velit, & jus sibi prætere ad Beneficium
 sibi promissum, ut habetur *c. relatum 3. h.*
tit. & tradit ibid. Gloss. *in casu,* Abb. *n. 3*
Vivian. ibid. in ration. Gonz. n. 2. Barbof. n.
1. & l. 3. Jur. Eccl. c. 13. n. 125. Vall. hic
n. 3. Pirh. n. 8. Schamb. n. 6. Wiest. n. 14.
 Ratio est, quia ejusmodi promissionem ha-
 bens nullum ex tali promissio adeptus jus est;
 igitur frustra appellat.

Extenditur 2. ut neque delegare Epi-
 25 scopus, vel alius collator Pontifice inferior
 potestatem conferendi Beneficia proximè va-
 catura possit, prout constat *ex c. constitutus*
11. h. tit. ubi etiam indicatur ratio; quia
 posset quispiam tali facultate conferendi Be-
 neficium proximè vacaturum abuti in frau-
 dem *c. nulla 2. h. tit.* nam qui obtinere cer-
 tum Beneficium nondum vacans cuperet,
 posset subornare amicum, ut impetraret ab
 Episcopo facultatem id Beneficium confe-
 rendi, cum vacaverit, & sic spe fretus,
 quod amicus ille Beneficium hoc sibi colla-
 turus sit, desiderare, & machinari mortem
 Beneficario illi, cui succedere in Beneficio
 cupit. Abb. *in c. constitutus cit. n. 5.* Vivian.
ibid. princ. Barbof. *n. 3. Gonzal. n. 3. 5. &*
6. Leuren. p. 2. for. Benef. q. 788. n. 1. Ho-
nor. hic n. 7. Pirh. n. 9. Schamb. n. 6. Wiest.

n. 15. Excipitur, si Episcopus potestatem conferendi Beneficia proximè vacatura committere velit Vicario suo Generali; nam hoc in genere, & indeterminatè potest, non autem in specie, & determinatè, sive respectu certi Beneficij, aut respectu certæ personæ. Laym. in c. 3. n. 3. de Offic. Vicar. in 6.

26 Extenditur 3. etiam ad Patronos; nam neque isti promittere possunt, quòd præsentare aliquem ad Beneficium vacaturum velint, aut potestatem alteri in specie dare, ut præsentet ad certum Beneficium, cum vacabit; & si id faciat, præsentatio non valet c. fin. h. tit. & notat *ibidem*. Abb. n. 6. Vivian. in ration. princ. Gonzal. n. 2. Wagn. in Exeg. Passerin. in c. 2. eod. in 6. n. 4. Pal. tr. 13. D. 2. p. 5. n. 1. Barbof. alleg. 72. n. 3. Illfong. tr. 5. D. 2. n. 182. Pirh. hic n. 16. Schamb. n. 7. Wiest. n. 15. & urget paritas rationis, ob quam id prohibitum est Episcopo, aut alteri collatori; nam idem periculum subest, & similiter per ejusmodi promissionem, vel commissionem daretur occasio optandæ, vel captandæ mortis alienæ. Dixi autem *In specie*; nam generatim Patronus, præsertim si Laicus sit, committere alicui tanquam Procuratori facultatem præsentandi an Beneficia, si vacaverint, potest, maximè si causa subsit, ut quia Patronus vult peregre proficisci diu absuturus. Abb. in c. fin. cit. n. 6. Vivian. *ibid.* circa fin. Wagn. in Exeges. Pirh. n. 16. cit. Wiest. n. 17. Ratio est, tum quia tali casu cessat periculum insidiandi vitæ alicujus propter Beneficium vacaturum; tum verò maximè quia Procuratoris constitutio cuilibet Jure communi permittitur, & Patrono prohibita nusquam reperitur.

27 Dub. 4. an valeat promissio de conferendo alicui Beneficio in genere, *cum poterit, vel cum occasio se obtulerit*? Videtur valida esse hujusmodi promissio; nam 1. apertè pro valore illius militat c. accedens 14. b. tit. ubi promissiones hujusmodi tanquam licitæ approbantur. 2. modernus usus collatorum, & Patronorum, etiam timoratorum, qui Clericis sibi commendatis, & caris, cum pro Beneficio supplicant, promittere passim solent, se, *cum tulerit occasio*, eos voti compotes facturos, & ad Canonicatum, Parochiam, vel aliud Beneficium, *cum poterunt*, promoturos: imò alicubi talibus promissionibus firmandis adjici solent Litteræ ad ejusmodi Beneficia vacatura, quas *Signaturas* nuncupant. 3. ratio; quia cum alijs modis hæc promissio impleri possit, e. g. per erectionem novi Beneficij, vel divisionem Præbendæ, per istam promissionem non datur gratia expectativa, per quam desideretur mors alterius, adeoque cessat ratio prohibitionis c. nulla 2. h. tit.

28 Sed distinguendum inter Jus Decretalium antiquum, & novum, nam *Jure antiquo* hujusmodi promissio erat valida, ut

constat ex c. accedens cit. At Jure novo, *detestanda* 2. h. tit. in 6. prohibita, & irritata est omnis promissio de Beneficio conferendo, adjectâ clausulâ, *Cum poterit, vel cum se facultas, aut occasio obtulerit*, & aliâ quavis, per quam directè, vel indirectè aperiri via ad Beneficia vacatura valeat. Ratio est, quia quando prohibitio respicit certum finem, censetur tunc prohibita qualibet via, per quam directè, vel indirectè ad illum finem prohibitum pervenitur, atqui Concilium Lateranense c. nulla 2. h. tit. prohibuit, ne Beneficia vacatura conferantur, ut tollatur occasio desiderandi mortem alterius, ergo promissiones omnes, quæ eò tendunt, sub quovis modo, & forma verborum reprobantur.

Neque obstant Argumenta opposita 29
Ad 1. patet ex modò dictis. Neque contrarium probat usus, & consuetudo, quo videmus in pluribus Germaniæ Ecclesiis Canonicos supernumerarios recipi, qui futuras Præbendas expectent; quia has non expectant ex vi promissionis, sed ex vireceptionis in Canonicos, quam sub Præbendæ expectatione fieri Jura *citt.* nequaquam prohibuerunt. Ad 2. negatur paritas; nam talibus loquendi modis, & Signaturis spes sola, non res, sive alicujus Beneficij, vel collationis, aut præsentationis ad id obtinendæ jus supplicantibus queritur, ut indubitatè liquet ex eo, quòd aliquando ad eundem Canonicatum, vel Parochiam Signaturæ dentur pluribus: & cum postea vacant, quandoque alijs conferantur, non obstantibus ejusmodi Signaturis, vel querela eorum, quibus antè promissa fuisse videri poterant. Ad 3. licet fortasse non adeo vicinam occasionem optandæ, vel captandæ alienæ mortis hujusmodi genericæ promissiones præbeant, præbent tamen non exiguam, talemque, quæ Pontificem movere potuerit, ad tales etiam promissiones per c. *detestanda* cit. irritandas.

Dub. 5. an non saltem valeat Jura 30
mentum promissioni Beneficij nondum vacantis adjectum? Videtur esse validum. 1. quia est de re licita, & nemini præjudiciosa; potest enim hujusmodi Beneficium postea vacans cujunque Clerico idoneo, & ipsi etiam promissario conferri sine alicujus tertij, & propriæ animæ dispendio, vel præjudicio, atqui Juramentum, quod est de relicta, & nemini præjudiciosa, est observandum, ergo &c. 2. si Juramentum hoc non teneret, id esset maximè ideo, quia cum præbeat occasionem optandæ, aut captandæ mortis alienæ, bonis moribus adversatur, & cons. servandum non est, atqui hoc nimium probat; probat enim, quòd neque Pontifex facere hujusmodi promissiones, vel Collationes Beneficij vacaturi possit, ergo &c. 3. licet promissio de successione viventis bonis moribus adversetur, Jura-

mentum tamen illi adjectum obligat, ut cum alijs docet. Suar. l. 2. c. 23. n. 2. ex ea solum ratione, quia sine peccato, & præjudicio tertij servari potest. 4. esto, promissio Beneficij vacaturi inducat votum optandæ mortis alienæ, non tamen inducit illud per se, sive ex natura, & sine suo; sed per accidens solum ob vitium, & perversitatem eorum, in quorum favorem præstatur, non omnium, sed paucissimorum, qui ita spe obtinendi Beneficij obcæcari se patiuntur, ut optare, vel etiam machinari non vereantur mortem eorum, quorum Beneficia vacatura expectant. 5. Boni mores, quibus hujusmodi promissio adversatur, non sunt præcepti Jure naturali, aut Divino, cum secundum se spectata indecentiam, & turpitudinem non contineat; sed tantum humano, igitur sicut Juramentum adjectum pacto de futura successione tenet, ita tenebit etiam adjectum promissioni Beneficij vacaturi.

31 Sed adhuc dicendum, Juramentum, promissioni Beneficij vacantis appositum, viribus, & valore destitui. Ita Abb. in c. 13. h. tit. n. 3. Vivian. ibid. princ. Gonzal. in c. 2. h. tit. n. 12. in fin. Passerin. in. c. 2. n. 3. eod. in 6. Sanch. l. 7. moral. c. 2. n. 33. Pirh. h. c. n. 6. Wiest. n. 13. Ratio est, quia ut promissio hæc, ita etiam Juramentum promissioni appositum adversatur bono publico, quod unice Pontifex in proposito habuit, dum ejusmodi promissionem prohibuit; ergo sicut promissio propterea irrita est, ita & Juramentum. Conf. quia si hujusmodi Juramento valeret, facile eluderentur saluberrimæ cautelæ Sanctionum Canonicarum, quibus Pontifex promissiones hujusmodi irritando, ambitioni hominum perverforum, aliisque damnis, quæ ex præpropere, & præfestina Beneficiorum promissione oriri solent, obviare voluit; nam æquè facile Juramentum, quàm promissio à collatoribus, & Patronis extorqueretur, & sic quod unâ viâ non admittitur, alterâ obtineretur contra Reg. cum quid unâ 84. de R. l. in 6.

32 Ad Argumenta opposita non diffi- culter responderi potest. Ad 1. patet ex probatione, quod promissiones hujusmodi de Beneficijs vacaturis adversentur bono publico; Juramentum autem confirmans actum bono publico adversantem obligatorium esse non potest. Ad 2. promissio Beneficij non vacantis solum involvit votum alienæ mortis occasionaliter; & hinc casu, quo occasio talis voti esse cessat, dispensatione Pontificis licita fieri potest, non autem alterius inferioris Pontifice, quia hic contra Jus commune dispensare non potest. Ad 3. negatur paritas; quia promissio Beneficij non vacantis repugnat bonis moribus Canonicis, sive præceptis Generalium Conciliorum, & Constitutionum Apostolicarum

habentium pro fine immediato bonum publicum; at pactiones de hæreditate viventis adversantur solum bonis moribus Civilibus, seu dispositioni Juris Civilis, ejusmodi pactis principaliter & immediatè privatorum commodum intendentis; & hinc cum quisque favori pro se principaliter introducto renuntiare possit, promissio cum consensu ejus, de cujus futura successione fit, valet; non autem valet promissio de Beneficio vacaturo, cum nemo cedere possit favori in bonum publicum immediatè, & principaliter introducto. Ad 4. periculum hoc causa sufficiens fuit ad irritandum pactum de successione viventis; igitur etiam causa sufficiens erit ad irritandam promissionem beneficij vacaturi, & Juramenti huic adjecti. Ad 5. etiam Jus humanum potestatem habet obligandi in conscientia: adeoque non probatur Juramentum valere ex eo solum capite, quod promissio beneficij vacaturi solum prohibita sit Jure humano.

Dub. 6. an, & quatenus per Trid. 33 sublata sint Gratia Expectativa, & mandata de providendo? Certum est per Trid. Concilium potestatem Pontificis quoad ista non fuisse restrictam, nec potuisse restringi: poterit igitur ille, ut antè, ita etiam nunc hujusmodi Gratias, & Mandata de providendo dare; quia Gratia ista sublata sunt tantum Jure humano, quo superior Pontifex est. Neque obstat, quod memorata Synodus eas sustulerit generaliter; quia ut eadem Synodus sess. 25. c. 21. de reform. declarat, hujusmodi Decreta semper ita intelligi debent, ut salva semper Autoritas Sedis Apostolicæ sit, & esse intelligatur.

Difficultas moveri potest quoad Col. 34 latores inferioris Pontifice? Nam his etiam potestatem gratias Expectativas dandi competere, videtur probari. 1. quia Legatus à Latere habet potestatem reservandi Beneficia vacatura, etiam in favorem, & commodum certæ personæ, cui reservati Gratiæ Expectativa non est multum dissimilis. 2. Episcopus, & Capitulum recipere aliquem in Canonicum, & fratrem possunt sine assignatione Præbendæ, & sic recepto debetur Præbenda proximè vacatura hoc ipso, quod Canonici sine Præbenda diu non possit consistere c. cum M. 9. de Constit. & c. relatum 9. de Præbend. ac proinde Præbenda vacatura à sic recepto revera expectatur. 3. hodie in quibusdam Studiorum Generalium Universitatibus fieri solent nominationes certarum personarum, ad Gradus litterarios promotarum, ad Beneficia vacatura, quarum nominationum ea vis est, ut si hujusmodi beneficia postea vacent, alteri conferri nequeant; ac proinde expectantur à sic nominato.

Sed dicendum Gratias Expectativas, 34 & Mandata de providendo hodie nulli alteri competere, nisi summo Pontifici. Patet

ex Trid. *sess. 24. c. 19. de reform.* ubi illas generaliter sustulit.

Nec contrarium probant Argumenta allata. *Ad 1.* patet ex responsione *ad 3. n. 22.* *Ad 2.* cum gratijs expectativis etiam sublata est potestas creandi Canonici cum supernumerarium ad futuram, seu proximè vacaturam Præbendam, ut declaratum est à Sacra Congreg. Cardd. Concil. Interpp. teste Gonz. *procem. ad Reg. 8. §. 1. n. 64.* Ubi Trid. in tanto rigore receptum non est, recipi quidem aliquis in Canonico cum expectatione Præbendæ proximè vacaturæ potest; magnum tamen adhuc discrimen est inter Gratias Expectativas, & inter receptionem talis Canonici cum expectatione Præbendæ; nam hanc iste expectat ex dispositione Juris, quo cavetur, ne Canonicus diu sit sine Præbenda, cum ille, qui Gratiam Expectativam habet, eam expectet ex vi promissionis. *Ad 3.* ab hujusmodi nominatis Academicis tristic consilij, aut voti metus non est, & si quis esset, ab utilitate in Ecclesiis, & Remp. Christianam ab illis redundante multum superaretur; conceduntur enim hujusmodi nominationes non solum ad promotionem studiorum, sed etiam ad bonum Ecclesiarum, & animarum, ut ille idoneos Rectores: istæ Pastores facilius habeant: quæ etiam causa est, cur iisdem à Trid. *l. cit.* derogatum non sit, ut declaravit Gregorius XIII. super hoc consultus, teste Wamef. *consil. 254. paulò post princ. & Zoes. hic n. 9.*

Quæritur 3. intra quod tempus conferri debeant beneficia vacantia? *4.* distinguendum hic esse inter beneficia Collativa, seu Libera, Electiva, & Patronata, seu Mixta.

Si beneficium vacans sit *Collativum*, seu *Libera Collationis*, conferri debet intra sex menses *c. nulla 2. §. cum verò h. tit. Ratio est*, quia diuturna vacatio beneficiorum, & Officiorum est damnosa Ecclesijs, & periculosa animabus. *Vivian. n. in c. nulla cit. §. cum vacaverint*, Fagnan. *ibid. n. 24.* *Gonzal. in c. 5. eod. n. 7.* *Barbos. l. 3. Jur. Eccl. c. 13. n. 107.* *Leuren. p. 2. for. Benef. q. 789. n. 1.* *Van Elpen J. E. U. p. 2. tit. 21. c. 5. n. 10.* *Clericat. de Benef. discord. 80. n. 80. n. 17.* *Vallenf. hic §. 3. n. 1.* *Pirh. n. 29.* *Excipitur 1.* nisi provisio à Papa sit expectanda; ipsi enim nullus præstitutus est terminus ad conferendum, sed cum sit supra Jus, potest quocunque tempore providere. *Clericat. discord. 36. n. 27.* *Excipitur 2.* Legatus à Latere, & Nuntius Sedis Apostolicæ respectu Beneficiorum, quæ ipsi conferre possunt; cum enim potestatem à Jure habeant conferendi quælibet Beneficia, in sua Provincia existentia, tamen ad Sedem Apostolicam devoluta sint, non poterit illis currere tempus ad conferendum; quia hæc illorum potestas nulla devolutione impedi-

tur. *Pal. tr. 13. D. 3. p. 5. n. 9.* *Excipiuntur 3.* Beneficia Ecclesiæ non numerata; nam ad hæc Constitutio *c. nulla cit.* non extenditur, sed conferri possunt, quando id Collatori, vel Collatoribus libererit. Imò hi nec ad Litteras Papæ tenentur aliquem ultra Ecclesiæ Facultates accipere. *Wagn. in c. 10. V. statutum not. 1. b. tit.*

Si Beneficium, Dignitas, vel Prælatūra vacans sit *Electiva*, attendendum est, an sit Prælatūra Regularis, vel principalis in Ecclesia Cathedrali, an verò Dignitas, Officium, aut Beneficium aliquod inferius. *Si hoc secundum*, Electores etiam ipsi semestres habent, intra quod Electionem faciant, prout sumitur ex *c. dilectus 12. h. tit. & notat ibid. Abb. n. 2.* *Garc. p. 10. de Benef. c. 2. n. 2. §. 5.* *Pirh. n. 29.* *Si primum*, hujusmodi Prælatūra ultra tres menses vacare non debent *can. obeuntibus 31. dist. 63. c. ne pro defectu 41. de Elect. c. dilectus cit.* propter majus periculum, quod animabus ex diuturna Pastoris carentia imminet: & hinc qui ultra trimestre Electionem Episcopi, vel Prælati Regularis differunt, pro ea vice privantur potestate eligendi, & ea ad proximum superiorem devolvitur. *Garc. l. cit. n. 3. §. 4.* *Vivian. in c. nulla 2. §. cum vacaverint h. tit.* *Fagn. ibid. n. 31.* *Gonzal. n. 8.* *Wagn. §. sed infra sex menses not. 1. Pirh. n. 29. cit.*

Si denique Beneficium vacans sit *Patronatum*, videndum est, an sit subiectum Patronatui Laico, an Ecclesiastico; nam *si Laico*, quatuor ipsi menses ad præsentandum conceduntur; sex verò, *si Ecclesiastico*, ut infra pluribus *Tit. 38.* dicitur. Institutioni verò illius, qui ad tale Beneficium præsentatus est, certum à Jure tempus nullum præfixum est: quod etiam dicendum de Confirmatione Electi, & collatione Beneficii resignati ex causa permutationis. *Garc. p. 10. de Benef. c. 4. à n. 1.* Si tamen is, ad quem institutio præsentati, confirmatio electi, vel collatio Beneficii ex causa permutationis resignati pertinet, id facere diu differat, recurri potest ad ejus Superiorem, videlicet ad Metropolitanum, vel Legatum, aut Nuntium Pontificium, ut hic illi certum tempus præfigat ad instituendum, confirmandum &c. Potestque præsentatus, si sine causa Institutio differatur, à gravamine illato appellare. *Abb. in c. 29. de Jur. Patron. n. 1.* cum alijs.

Dub. 1. quando tempus semestris ad conferendum Beneficium à Jure præfixum incipiat currere? Videtur currere ignorantibus, & impedito, & sic incipere à die vacationis *arg. l. genero 8. ff. de his, qui not. infam.* ubi tempus anni, intra quem mulier post mortem mariti Jure Civili prohibetur nubere, currit etiam uxori ignorantem mortem mariti. *Item arg. c. nos quidem 1. de Testam.* juxta quod potestas exequendi

Testamentum devolvitur ad Episcopum, etiam si Executor illud exequi intra annum non potuerit.

Sed nihilominus dicendum, semestre hoc non currere Collatori à tempore, quo Beneficium vacaverit, sed à tempore, quo Collator habuit notitiam vacationis. Ita statuitur *c. quia diversitatem 5. h. tit.* Et hinc 1. non currit ignorantii. Vivian. *in c. 5. cit. v. nec incipit.* Fagn. *n. 2.* Barbof. *n. 1. § l. 3. Jur Eccl. c. 13. n. 107.* Van Elpen *J. E. U. p. 2. tit. 21. c. 5. n. 3.* Clericat. *de Benef. discord. 80. n. 17.* Vallens. *hic §. 3. n. 1.* Schamb. *n. 11.* Pirh. *n. 30.* Ratio insinuat in conferendum Beneficium statutum fuit contra negligentes; qui autem ignorat, negligens, aut culpabilis dici non potest, ut notat Gloss. *in c. statutum 3. V. numerandum de Præbend. in 6.* & is, qui nescit, potestatem experiendi non habet *l. annus 6. in fin. ff. de calumn.* ac proinde non debet currere probabiliter ignorantii vacationem.

40 2. Ob eandem rationem etiam semestre istud non currit iuste impedito; et tunc perinde, sive deinde impeditum istud sit Juris, sive facti *c. quia diversitatem cit.* & Abb. *ibid. n. 3.* Imol. *n. 4.* Vivian. *princ.* Barbof. *n. 1.* Fagn. *n. 1.* Gonzal. *n. 5.* § *seqq.* Wagn. *Reg. 1.* Van Elpen *c. 5. cit. n. 6.* Pirh. *hic n. 31. not. 2.* Procceditque hoc, etsi collator ob propriam culpam in tale impedimentum v. g. suspensionem incidit, modò sic suspensus non sit in culpabili mora perendi absolutionem à suspensione. Colligitur ex *c. quia ad diversitatem cit.* ubi licet Episcopus ob propriam culpam suspensus fuerit, tamen Pontifex decrevit illi pro collatione Beneficiorum tempus servandum integrum. Ratio est, quia regulariter non causa mediata, sed immediata respici debet *arg. can. de occidendis 8. caus. 23. q. 5.* Excipitur, si collatio Beneficij ad Episcopum, & Capitulum simul spectet; tunc enim suspensus, vel excommunicato Episcopo, Beneficia hujusmodi conferuntur à Capitulo, nec expectanda est absolutio Episcopi *c. un. ne Sed. vacant.* Fagn. *in c. quia diversitatem cit. n. 15.*

Ad Argumentum *n. 39.* allatum negatur paritas; nam in textibus *citt.* tempus præfixum est, non in odium negligentia, sed in favorem uxoris, ne diu impediatur transire ad nova Vota; & defuncti, ne executio ultimæ voluntatis diu nimis differatur. Unde principium illud, quod ignorantii, vel impedito tempus non currat, intelligendum est, si tempus sit præfixum in odium negligentia; nam si præfixum sit in merum favorem alterius, etiam impedito, ignorantii currit. Abb. *in c. 5. cit. n. 3.* Imol. *n. 4.* Pirh. *not. 3.*

41 Dub. 2. quale sit tempus, quod præfixum est collationi Beneficiorum,

continuum, an utile? *¶* sub aliquo respectu esse utile, sub alio continuum. Utile est; quia non currit impedito, & ignorantii, ut hæctenus ostensum est. Continuum autem; quia currit etiam diebus feriatis. Abb. *in c. 2. h. tit. n. 11.* Fagn. *ibid. n. 27.* § *28.* Pirh. *n. 32. not. 6.* Quare hi sex menses computantur de momento ad momentum, à tempore sc. scientia, seu notæ vacationis: ita, ut si Beneficium vacavit, ejusque vacatio fuit nota 1. Maij horâ 9. antemeridianâ, conferri possit usque ad 1. Novemb. horam 9. & non post illam. Garc. *p. 10. de Benef. c. 2. n. 43.* Sanch. *l. 2. de Matr. D. 24. n. 16.* Barbof. *in c. 5. cit. n. 11.* Van Elpen *J. E. U. p. 2. tit. 21. c. 5. n. 5.* Pirh. *l. cit.*

Porro Menses hoc casu computari debent, secundum quod occurrunt, ita, ut quod ex primo mense deficit, accipiendum sit ex ultimo: cons. si Beneficium vacat 8. Febr. semestre finietur septimo Julij, etiam si annus sit Bissextilis; quia in favorabilibus dies duo mensis Bissextilis computantur prout *locis citt.* advertit Garc. *n. 42.* Sanch. *n. 15.* § *16.* Pirh. *l. cit.*

Alleganti autem impedimentum, vel ignorantiam, ut post semestre conferre Beneficium possit, incumbit probatio, si sit Collator Ordinarius; quia cum singulis annis teneatur Dioecesim suam visitare, præsumitur habere notitiam Beneficiorum in ea vacantium: ac proinde dicti sex menses computari debent ab eo tempore, quo scire potuit, ac debuit collator, seu Episcopus ea vacare. Abb. *in c. 5. cit. n. 7.* Garc. *n. 27.* § *duob. seqq.* Barbof. *de Offic. Episc. alleg. 58. n. 6.* Schamb *hic n. 11.* Pirh. *n. 32. in fin.*

Dub. 3. quæ sit poena non contentium Beneficia vacantia intra tempus à Jure præscriptum? *¶* est, quod potestas conferendi pro illa vice devolvatur ad Superiorem, qui proinde non tantum conferre ejusmodi Beneficium devolutum potest, sed etiam inducere in possessionem illius, vel saltem præcipere, ut provifus in eam inducatur, ut notat Abb. *in c. ex parte 10. h. tit. n. 2.* Pirh. *hic n. 42.* quia inductio in possessionem accessorie consequitur ad jus per legitimam collationem acquiritum. Neque semestri lapsu, amplius licet purgare moram, etiam si Superior jure devoluto nondum contulerit, ut bene alijs *citt.* advertit Fagn. *in c. nulla cit. n. 26.* ex ratione; quia per lapsum temporis in continenti devolvitur potestas ad Superiorem: quo fit, ut neque liceat perere in integrum restitutionem.

Fit autem Devolutio ista gradatim ab inferiore ad proximum Superiorem. Et hinc si Collator inferior Episcopo sit negligens, devolvetur potestas conferendi ad Episcopum, ab isto ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo ad Primate, vel Patriarcham, ab hoc denique ad Papam, ut dictum est *Libr.*

21. 22. 23. 24. An, & quales Beneficiorum resignaciones admittuntur?
 25. 26. 27. An Ecclesias, vel Beneficia uni-
 re?
 28. Aut unitas dissolvere?
 29. Canoniatum, vel Præbendam aliquam
 suppressere?
 30. 31. 32. 33. Quinam actus in specie vi Ju-
 risdictionis ad se translata eidem compe-
 tant?
 34. 35. 36. 37. In quibus actibus Episcopo
 non succedat?
 38. 39. 40. An pro morum reformatione con-
 sultare possit Visitatorem Diocesis?
 41. 42. 43. An visitare Monasteria Monialium
 exempta?

44. Concedere Indulgentias?
 45. Cognoscere de crimine Heresis?
 46. An Capitulum Metropolitanæ succedat in
 Jurisdictionem Archiepiscopi?
 47. An vocari debeat ad Synodum Provincia-
 lem?
 48. 49. 50. 51. 52. Quid possit circa alie-
 nationem bonorum?
 53. 54. An litem super iisdem inchoare, vel
 proseguere?
 55. 56. 57. Quibus casibus?
 58. An possit bona pertinentia ad Men-
 sam Episcopalem transferre ad suam?
 59. An Episcopo succedat etiam in Jurisdic-
 tione Feudali?

Quia in dies accidit Cathedralis Eccle-
 sias suis Pastoribus ex hac luce subtractis
 viduari, ne tempore Vacaturæ, dum nemo
 est, qui Episcopale Jus tueatur, detrimen-
 tum patiatur Ecclesia vacans, hic pro Re-
 gula traditur, *Sede vacante non esse aliquid
 innovandum*, sed omnia in suo statu relin-
 quenda usque ad Confirmationem novi Epi-
 scopi. Huic Regulæ è diametro adversari
 videtur altera æque communis, quæ desu-
 mitur ex *c. his quæ 11. & c. cum olim 14.
 de major. & obed. item c. ad abolendam 9. de
 Heretic.* quod videlicet Sede vacante Juris-
 dictio Episcopi transeat in Capitulum Ec-
 clesiæ Cathedralis. Unde cum Regulæ istæ
 sibi contradicere videantur, Titulo præfenti
 disquiritur, ad quæ tunc temporis potestas
 Capituli Episcopum suum representantis
 extendatur?

Queritur 1. quænam causæ, & ne-
 gotia petra tractari à Capitulo, Sede vacante,
 possint? Gloss. in *Clem. 1. V. Capituli de
 Heretic.* Archidiacon. in *can. Pontifices 4.
 caus. 7. q. 1. Abb. in Rubric. hic, Lambertini,
 de Jur. Patron. l. 1. p. 1. q. 2. art. 9. n. 2.
 Pirh. hic n. 2. volunt, Capitulo, Sede va-
 cante, prohibita esse omnia, quæcunque ei
 specialiter concessa non reperiuntur: adeo-
 que si Capitulum velit aliquem actum ex-
 exercere, putant ei incumbere onus proban-
 di quod ille actus sibi sit à Jure permixtus. *Mo-
 ventur 1. generalitate propositæ Rubricæ,
 Ne Sede vacante aliquid innovetur*: quæ verba
 simpliciter prohibitiva sunt, & conf. videntur
 innuere, Sede vacante, circa ea, quæ
 Ecclesiam, istiusque Prælatorum concernunt,
 nihil innovari, vel mutari à Capitulo aut
 debere, aut posse, nisi quod ipsi à Jure
 expresse concessum est. 2. *c. novit 1. h.
 tit.* ubi Sede vacante innovatio fieri prohibe-
 tur ex ratione, quod tum non sit, qui Epi-
 scopale Jus tueatur: quæ ratio generalis est,
 & conf. afficit quamcunque innovationem,
 quæ de Jure permixta non reperitur. 3. *c.
 illa 2. eod.* ubi Honorius III. negat à Ca-
 pitulo conferri posse Beneficia ad collatio-
 nem Episcopi pertinentia, & addit rationem;*

quia nusquam invenitur cautum in Jure, quod
 Capitulum vacante Sede fungatur vice Episcopi
 in collationibus Præbendarum. 4. Potestas
 generalis Capiruli, dum vacat Ecclesia, nec
 fuit necessaria eidem, nec utilis: necessaria
 quidem non fuit; quia si in ijs, quæ à Jure
 specialiter indulta non sunt, aliquid innovari
 expediat, ad Sedem Apostolicam recurri
 & licentia impetrari potest *arg. c. un. de
 Cleric. exrot. in 6.* utilis non fuit; quia talis
 concessio ansam præberet, Capitulo prote-
 landi electionem novi Prælati cum damno
 Ecclesiarum, & periculo animarum *c. ne pro
 defectu 41. de Election.*

Sed distinguendum est inter ea, quæ
 Episcopo competunt Jure ordinario, & tan-
 quam Episcopo, & inter illa, quæ eidem
 competunt ex speciali privilegio, commif-
 sione, vel ut Sedis Apostolicæ Delegato.
 Illa, quæ primi sunt generis, Capitulo sede
 vacante permixta censentur omnia, ijs dun-
 taxat exceptis, quæ eidem expresse prohi-
 bita inveniuntur. Ita Gloss. in *c. cum olim
 41. V. Capitulo de major. & obed. Gutier.
 qq. can. l. 1. c. 11. n. 10. Molin. tr. 5. de J.
 & J. D. 11. n. 3. Quarant. Summ. Bullar.
 V. Capitulum Sede vacante n. 1. Leo Thes. for.
 Eccl. p. 1. c. 10. n. 8. 7. Capitulum, Laym.
 l. 1. tr. 4. c. 7. §. 4. n. 12. Barbof. l. 1. Jur.
 Eccl. c. 32. n. 61. Sperell. decis. 111. n. 39.
 Wagn. in c. 2. h. tit. not. 8. Pirh. tit. de ma-
 jor. & obed. n. 44. in hoc sibi contrarius,
 Pignatell. tom. 9. conf. 159. Leuren. p. 3.
 for. Benef. q. 391. n. 3. Van Espen J. E. U. p.
 1. tit. 9. c. 1. n. 2. Præposit. Frising. tom. 1.
 conf. 5. n. 69. Honor. hic n. 6. & 7. Engl
 n. 1. Wiest. n. 4. Clariff. P. Schmier p.
 1. de person. Eccl. c. 4. n. 50. & 61. Su-
 mitur 1. ex *c. his quæ 11. c. cum olim 14. de
 major. & c. un. eod. in 6.* ex quorum tex-
 tum, præsertim ultimi, dispositione Capi-
 tulum Prælato, Sede vacante, succedit in
 ijs, quæ Prælato competunt, præterquam in
 aliquibus specialiter exceptis. 2. Ex *c. si
 Episcopus 3. & c. fin. de supp. negl.* ubi ca-
 pitulum, quo Sedes aut fictè per Episcopi capi-
 vitatem, aut verè per ejus mortem vacat,
 Capi-*